Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelband aus verschiedenen Heften - Cod. Ettenheim-Münster 377

[S.l.], [17./18. Jahrh.]

Miscellanea

urn:nbn:de:bsz:31-133209

Visual Library

Miscellanea.

Tria Laude digna.

In mundo tria sunt, quæ sunt dignissima laude
Fœmina casta, bonus socius, fidelis amicus.

alij indifferentes

Elcibe dic totum sinis me noscere potum,
omne rarum carum vilescit quotidianum.
Christus eum ditat, qui sedulus otia vitat
Curia Regis [illegible] pro se quod quisque laberet
Vita brevis, fortuna levis tibi sit documento,
Non ægrum metuas, quem sanum despiciebas.

De Beatissima Virgine.

Virginis eximiæ cum præteris ante figuram,
prætereundo cave, ne sileatur ave.

Jovis a quodam in medio sedente.

Esuriunt medij, primi saturantur et imi
Ergo non vere medium tenuere beati,

Cui fidendum

Non secreta sui cordis sciat omnis amicus,
Nam tibi forsan erit capitalis cras inimicus

D. B. V. Christo et 4. Evang.

Digna throno summoque bono de virgo corono
Par soli Regina poli, nos spernere noli
Virgo Joannes avis, Lucas Taurus, Leo Marcus
Est homo Matthæus quatuor ista DEUS.
Est homo nascendo, Taurus morte patiendo,
Est Leo surgendo, Jovis ales summa petendo.

Indifferens.

Volumus aut volumus non unum semper amamus
Non procul â proprio stipite poma cadunt
In mundo duo sunt, quæ nil abscondita prosunt
Fossus humo census, latitans sub pectore sensus

Optativus modus.

Infinitivo prope par modus optativus,
Optandi fore, nam sibi nemo facit

Tres ~~hominis~~ ~~hostes~~.

Unum Grammaticum, Logicumque et Rhetora vita
~~Nos~~ Hos modo vitaris cætera tuta tibi.
Quis Rhetor? mundus: fallax Logicus? Cacodæmon
Semper declinans, est Caro Grammaticus.

Rhetora nova.

Qui caret Argento frustra utitur argumento,
Qui dare scit, is qui dicere, Rhetor erit.

In Merilingum.

Sus mera, eusque merum; fas mihi sit dicere verum,
Fax eris et rerum; dum bibis usque merum.

Species Ebrietatis.

Bos sex credatis species sunt Ebrietatis
Est Sapiens primus, multum sed et alter opimus
Tertius grande orat, Quartus sua Crimina plorat;
Quintus luxuriat, Sextus per numina iurat
Septimus incendit, Octavus singula vendit
Nonus nil celat, sed quod scit id omne revelat
Somnum Decimus amat, undenus turpia clamat
Cum fuerit plenus, Vomitum fatur duodenus.

Vale

Tempus adest quo dulcis amor dimittit amorem,
Quam dos vinxerunt, separat una dies.
Separor, o utinam tam longè separer à te,
Quotquot abhinc distat nostra dilinqu dies.

Alind

Quid dabo pro meritis cupis ut tibi largiar aurum?
Respicis hoc munus? quid petis ergo? dabo.
Sentio Quid cupias, utinam quod posis, habere
Discipuli doctum conciperis ingenium.

Alind.

Tam laetus nunc es, quando tibi dico valeto
Quam tristis fueras, quando precaber, Ave.
Dico vale tristis, mallem tibi dicere salve
Si id praecentum tristes fuisset Ave.

Alind.

Quomodo digna labore tuo benefacta rependam?
plurima si solvam, debeo plura tibi.
Te rude donabo meritum decet illa Magistrum,
Me cape nil rudius, me reperire potes

De vino et venere.

Solvit membra venus, solvit quoque membra Lyaeus,
Amborum soboles, praestat idem podagra.

Valedictio Querulosa.

Quo mea vita fugit, quorsum mea vita recedit,
Quo mens aufugiet? Quo properabit Amor.
Necte moras: ut tristis amor solatur amorem,
Plura tibi mutuus verba loquetur Amor.

Plura loquetur Amor, sed verba ligant amore,
Multa loquetur Amor, plura tacebit Amor.
Nil nisi maestus amor, maestus valedicere nouit,
O utinam posset dicere, Frater aue.
Charta valedicit quia scribens dicere nescit,
Charta dolere nequit, lecta dolere facit.

In falsum fratrem.

Ne fidas socio. vis fidere? fidito nulli,
Qui sibi non fidit, quem, cui fidat, habet?
Fidus enim socio sibi fit male fidus amicus
Si tibi sis, alijs non bene fidus eris.
Dulce volat verbum, sed dulcius esse venenum,
Hic sciet, in cuius pectore virus erat.
Et quasi mel labijs, quasi cantus perstrepit aures,
Sed quasi mel menti, fit quasi mite melos.
Hunc quoties audis falsa tibi voce canentem
Syrenem fictis vocibus esse puta.

Amicitia

Nondum alter Pylades, nondum alter natus Orestes
Rara est in terris fidus amicus, auis:
Cuilibet ergo caue ne nudes pectus amico:
Hic Thamon poterit crastinus esse Thaon.
Tam cito nunc certe mutatur amicus in hoste,
Quam cito mutatur nomen Eros in Eris.

Sunt tria vota tibi, nil votis fortius usque est,
Vita haec perfecta, sunt tibi signa tuae.

Ad Amicum cum Symbolo
non cadit Amor.

Ancipiti quoties bellonâ Martia pubes
Sternitur! heu quoties! nec cado strat(us)q(ue) amor.
Turbine ventorum mersæ periere Triremes,
Perfide merge Charon, merge, resurgit amor.
Non mergor, dulci pelago nisi mergar amoris
Nec, nisi mactet amor, cumq(ue) amore cado!

In Laudem cuiusdam Studiosi

Ingenium superare tuum studuere sodales
Sed non pugna paris conditionis erat.
Fers primas; non est mirandus spiritus, illa
Quo nequeunt homines, cum penetrare queat.
Perge igitur penetrare novem secreta sororum
Altius et maius dum p(ro)p(ter) ~~tuum~~ Musis erit.

Littera ad Confessarium

Praesens litteras quas mittimus Othmare confitentes
Id exhibent quod gessimus, Et singuli gerem(us):
Amavimus te singuli Tu singulos amasti
Amabimus te singuli, Tu singulos amabis!
Amamus et te singuli Tu singulos amasq(ue).
Sed qualis haec Confessio Othmare scire possis?
Integritas. Essentia Confessionis [illegible]
Inquiris? at q(uo)d haesitas? Ex voto proferen(tes)
Examen egit Charitas, Amore iam dolem(us)
Disponit atq(ue) Charitas Ferendo, conferendo
Quod gessim(us) et scim(us), nunc Ergo confitemur

Othmare te nos hactenus — dileximus frequenter.
Sed forsitan dileximus — frequenter, imo semper
Te non satis dileximus — ~~Hoc conterunt corda~~
Aut non satis frequenter!
Hoc corda nostra conterit — ~~Othmare sat dolemus~~!
Dolemus, et quod non satis — Hoc conterentque corda
Othmare, sat dolemus
Sic confitemur singuli — Sic confitemur omnes
Absolve nos, ex omnia — Confessionis adsunt!
Contritio, Confessio. — Sincera lachrymansque.
Et firmiter proponimus — Relapsus nos cavere.
Sic cordibus sic sensibus — Othmare convovemus,
Sic vota iurant cordibus — Jurantque Corda votis
Has confitentes litteras — Signaculo probamus
Amoris ipso simulo — Et fonte JESU amoris
Testes et omnes Coelites — Sint Angelique Coeli;
Pro fine sanctae Virginis — Subscribimus Maria!
Confessionis vel sacrae — Othmare Charitatis
Vel ne sacramenti cave — Tu fregeris sigillum.

Adm. Rdo Rso Doct. in Xpo Pri ac
Dno Mauro Heidelberger suo in philia
honori, in Theologia gaudio, in utriusque
fine dolori dicunt vale.

Pater Maurus officialis. Anagram. miro plausu facit finem
Officij mus meta, studiorum terminus instat,
Urgerat noster Theologia labor.
Ultima definita est. (esto Conclusio: Claudis
Jam studiose libris otia mollis age.
Quid nocet? et quandoque bonus dormitat Homerus,
Et quasdam ferias plebs studiosa probat.
Hoc quod

Hoc quod tu nuper manifeste Maure probabas,
Claudere cum velles fine premente scholas,
Illa dies miro ferias facit ultim plausu
Absoluistis, ais, iam licet, ite domum!

carmen gratulatorium

R. P. Caelestino philiae et Theologiae professori hoc sequens carmen cum Imagine oblatum, noveris ac in imagine fuisse depictum puerum Jesum agno insidentem, qui agnus vinculis collo ligatus trahebatur à S. Joanne Bapt. similiter in specie pueri.

Quid iuvat innumeris Logicen expendere verbis?
Volvere perplexas quidve labore domos?
Adveniet, solum quod continet omnia, Verbum,
Sic tibi, sic nobis fit labor inde levis,
Ne grave sit captu, ducunt tibi vincula captum
Vox Verbi, hoc Verbum dat, quoque nosse modum!

Paedagogo paedagogiae officio renuntianti

Dux, pastor, Nauclerus eras: in castra tyrones
Duxisti, nautas in mare oves in agros
Dux pastor Nauclere, pater, morumque Magister
Dum linguis navem, castra et ovile schola.
Triste tibi balant, dicunt tibi remiges tristes
Miles, ovis, natus, discipulusque vale.

Absoluta Theologia.

Adm. R. Ruso Clariss. Pri ac Dño in SS. Canonum Doctori, suo in SS Theologia professori meritissimo, hoc quali quali

amoris, gratitudinisq[ue] signo valedicunt,
gratesq[ue] offerunt immortales; seseq[ue] æternu[m]
eidem commendatos cupiunt obligatissimi.

Totius studij finis fuit unio verbi,
Pulchrius hoc omni fine coronat opus.
Felices fuimus, sibi nos extrema professor,
Unijt hoc studio Filius ipse Dei.
O mihi quis dicat, cœlestis hic unio quid sit?
Non modus, aut modus est, hic modus, absq[ue] modo
Unio divinus quid sit, vis dico professor
Non modus, est merces sed tua magna nimis.
Nunc tibi discipuli donant pro fine laboris,
Et meriti, qui sit digna corona, tui
oblata est Imago cui inter titulum superiore
inscripta isthæc.
Verbum consumans Christus Verbum abbreviatum,
Nonne brevi longum fine coronat opus?

Desiderius: Anagram. Vides, Rides.
Quando Vides, Rides, non possum dicere quare!
Sed Rides, possum dicere, quando vides.
Est Vultus, ingenij simulatio causa Sereni,
Hic cur lætetur, cum simulatis habet.
Quid tamen est illud, quo sic lætaris amara
Sidera, nam Rides, Sidera quando vides.

Wärn Soltzer hättn nie Orden
so wärn so vil mönch nit worden

In Merilinguum.

Jus meum, cuiusque meum, fas sit mihi dicere verum,
Fax eris et rerum, dum bibis usque merum.

Ad Amicum 3tium, Amici duo.

Fert amor hoc geminus, geminum tibi munus amoris
Junge tuum, triplex efficiatur amor.

R. Tertius huic gemino pridem se iunxit amoris
Est igitur triplex, non modò fiet, Amor
Ut Sol directum radium, rectumque reflexum
Sic repercussum spargis Amoris Amor.

Herculeus labor decimus 3tius.

Coniugis ingentes animos linguamque domare,
Herculis est decimus tertius iste labor.

Theologus
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,
Politicus.
Si sciat hoc alter, scire tuum nihil est.

Jus Jus
Si ius adversum, ius adversaria tum
Universi adversi nomen utrumque tibi.

Tres linguae crucifixae
Lingua Pelasga artis custos, sophiaeque vetustae;
Romana Imperij; tertia lingua Dei.

De Dieta.
Si tardè cupis esse senex, utaris oportet.
Vel modico medicè, vel medico modicè.

Patria est, ubicunque est bene.
Illa mihi patria est, ubi pascor, et ubi nascor.
Illa ubi sum notus, non ubi natus eram.
Illa mihi patria est, mihi quæ patrimonia præbet.
Hic, ubicunque habeo quod satis est, habito.

Multiplicatio et Divisio Arith.
Cur dextra divisio, multiplicatio læva
Despicit: est virtus illa, sed hæc vitium
Cur sursum divisio, multiplicatio deorsum
Aspicit: hæc homini convenit, illa Deo.

Arbor.
Ver viridem, flavamque æstas me fervida, canam
Autumnus, calvam frigida fecit hyems.

Ad Theodorum Prisc. on.
Uno ut possum, quantum te diligo, versu
Dicere; sit satis est distichon, ecce duos.

Adama
Mittendi fidos Adamantes sunt ad amantes,
Solo Adamante polit durum adamanta faber.

De Somnijs Paradoxon.
Quæ mala sunt, bona sunt; mala, ~~sunt~~ quæ bona somnia quaro
* Gaudeo, si mala sunt; si bona sunt, doleo.
* Experrectus.

Aliquid ex Nihilo: Ænigma Arith.
Addideris * unum nihilo, nihil inde creatur:
Adde || uni nihilum, nascitur inde decas:
*. 01 || 10.

In Euendum Oratorem Infinitum.
Omnia cum dixti, superest tibi dicere, dixi
Hæc mihi sermonis vox placet una tui.

Quinque Sensus.

Quinque voluntatis voluptatisque ministri
Officium faciunt, an magis officiunt?

Visus.

Quo similis menti magis est, magis avocat illa
Visus, et ad nutus ducit agitque suos.

Auditus.

Quam cito vocalis marescit in aure voluptas!
Quae velut aura venit, quae velut aura fugit.

Odoratus.

Os, oculosque inter naris gratissima, quiddam
Carnale, et quiddam spirituale sapis.

Gustus.

Quo minus ut gustus maior sit in ore voluptas
Hoc tibi constabit pluris, emenda famé.

Tactus.

Est qui delectet nos tantum, est quique titillet
Tactus: ac hic iuvenes, afficit ille senes.

Obiecta Sensuum

Visa audita, olfacta mihi, gustataque tactaque
Afficiunt sensus inficiuntque meos.

Phoenix et Vipera

Tu pereundo paris viventem mortua phoenix;
Vipera tu pariens, tu pariendo peris.

Bombyx.

Arte mea pereo, tumulum mihi fabricor ipse,
Fila mei fati duco, necemque neo.

Ovis.

Seu caro, seu corium, fetus, fimus, alea, chorda,
Lanave, ~~Lac~~ lanae deest: omnia praestat ovis.

Clepsydra

Clepsydra mentitur verissima: nempe foramen
tempore fit semper maius, arena minor.

Astro / Physio { logia

Astrorum in summo latet alta scientia coelo:
In centro physica vis veneranda latet.
Ut bonus Astrologus fiat, Coelum nimis altum
Impedit: ut physicus, terra profunda nimis.

Jos. cantabrig. vota & Meditaões Bea

Vota novenda novies, scribisque legenda:
Qui tua vota legit, si tua vota facit.

Anagr: ad priscum Senem

Cur non sunt, ut erant, crispi Tibi, prisce, capilli
priscus Ego nunc sum, qui modo priscus eram

In festum mendacem

Omnis homo est mendax; justo, Teste, fateberis:
Mentiris dicit, qui tibi dicit, Homo es.

Ad G. I. Mercatorem.

Quo cui plus dederis, magis hoc tibi fiet amicus
Quo plus credideris, hoc magis hostis erit.

Satis-datio et Satis-factio.

Vox Caesareo sit jure satis-dare quamvis
Crebra; in Pontificum jure, satis-facere.

Sodalis Parthen.

Pompeianus Ego non sum, non Caesarianus
Non sum Syllanus; sum Marianus Ego

In Momum

Nil in Te video quod amem, laudemve, probemve
Nil in Te video, Mome, quod invideo.

~~Clepsydra~~ 50

Sol

Tres infra totidemque supra se cerno planetas:
In medio virtus maxima phoebe tua est.

Castor et Pollux.

Concordes duo sunt in caelo sidera fratres
In terra unanimes vix reor esse duos.

Astrologus et Geographus

Dividitur totus nos inter maximus orbis:
Caelum est Astrologi, Terraque Geographi.

Numerus par et impar.

Omnis habet medium, sed dimidio caret, impar:
Dimidium omnis habet par, medioque caret.

De Grege, Rege, et Lege.

Rex pastor, populique greges sunt, pabula leges.
Aeger, grex. Medicus, Rex: Medicinaque, Lex.

Venator, piscator, Auceps, Homo.

Divitias et opes venor: laudes et honores
Aucupor: expiscor mysteria: scire volo.
Dum studeo desidero scire, superbus honores
Ambio vilis opes: inter-ea inter-eo.

In Cuenda Indorigeru

Pluma supra caput est, et sub pede suber: utrinque
A Capite ad calcem, se probat esse levem.

Contemtus mundi.

Aulicae vitae vis vivere? Eremito vitae.
Vivit enim miserè cui sua vita placet.

Spes, Fides, et Charitas

Solus amor nobilis intrat penetralia Caeli
Non habet in Caelo spesve fidesve locum!

Credendum post funera nil erit: omnia cerno:
Sperandum mihi nil, omnibusque esse timor:
Semper erit quod amet: amor post funera vivit
Cum Deus in Coelis, ipse superstes erit.

Ad Amicum Cognatum.

Semper in incerta es tu mihi certus amicus:
Ne sit amicitiae nomen inane, cave.
Quem verbis profitere, probas tu rebus amare:
Lingua vocali consona vita tua est.

FAS.

Spe Coelos, et Amore Fideque ascendere FAS est
Absque tribus Coelos his penetrare NEFAS.
Spes laeva dextraque Fides assistit Amori:
Virtus in medio maxima stat Amor.
* Fides, Amor, Spes.

Veritas in profundo, In fucata.

Falsa patent, at vera latent; in te patet ipsa
Nam faciem ficta, caetera facta geris

In Theologastrum Sophista

Quid tibi neglecta virtute scientia prodest?
Desine tam verum quaerere: quaere bonum.

Actio & passio.

Qui mala multa facit, patietur multa vicissim
At mala qui passus plurima, pauca facit.

Resipiscentia & Reminiscentia.

Me miserum meminisse dolet iam, quae mala feci
Plurima quae passus sum, meminisse iuvat.

Semper { Idem / Eadem / Idem

Spes eademque Fides sit semper; Amorque sit Idem
Ingeniumque Tibi sit Tibi semper Idem.

Tres

Tres Rectores Mundi

Theologus Sapiens sit, ut omnibus omnia fiat:
Juridicus prudens sit, medicusque sciens.

Votum Autoris

Nec paupertatem nec opes, desidero magnas.
Volo parum: nimium non volo; sat mihi sat.

Debitor & Creditor.

Nil Evangelicum tibi, debeo præter amorem:
Præter Apostolicam nil tibi Credo fidem.

De Deo & Diabolo.

Nullum vult salvum fieri Dæmon: Deus omnes,
Personæ acceptor nullius ille, nec hic.

Huic simile ad Attalum I.C.

Attale Sacra piæ miscenda Theorica praxi.
Sanctorum vitas, perlege: Huic simile.

Redemtor.

Te sine nil video, sapio nil, Tu meus es sol
Solus, Tu meus es sal, mea sola salus.

Vita in sanguine.

Unctorum posuit Moses in sanguine vitam
Legi-fer. in Christi sanguine pono meam.

Veri amoris nullus est finis.

Nunquam vera fuit caritas, quæ desiit esse:
Item nullus veri finis amoris erit.

Animam dantis Deus non donum considerat.

Non quantum dederis, sed quanta mente dedisti,
Pensandum est: placat victima parva Deum.

Sola Virtus Beatos efficit.

Omnia cum pereant, est virtus sola perennis:
Hæc immortales reddere sola potest.

Quando Mors sit optima.

Optima tunc mors est, cum vita est criminis expers
Mors felix, vita est cui tibi cara magis.

Post gaudium vita venit luctus mortis.

Quid lætare miser? nescis post gaudia vitæ
Perpetuos luctus mortis adesse tibi?

Ad magna præmia magno labore pervenitur.

Si te delectant æterna præmia vitæ
Magna quidem, nec te terreat ergo labor.

Qui bene vixit, non timet mortem.

Qui bene præteritos sine labe peregerit annos
Non horret mortis vulnera dira pati.

Omnia patienter ferenda, ut ex volunte Dei
procedentia.

Quod tibi contigerit, patienter ferre memento
Nam certum, fieri Numine cuncta Dei.

Qui meminit mortis et inferni, facilè
à vitijs abstinebit.

Is facilè extinguet Veneris flagrantia tela.
Qui meminit Gehennæ, qui Phlegetontis aquæ.

Qui dat inopi sua, nunquam erit
pauper.

Qui bene divitias inopi donabit amicus
Hic omni felix tempore dives erit.

Amici prius eligendi, Electi semper retinendi.
Non temere admittas nisi fidum noris, amicum,
Sed semel admissus semper habendus erit.

Clepsydra.
Nil sine amicis

Miscellanea

Clepsydra

Clepsydra mentitur verissima: nempe foramen
Tempore fit semper maius; arena minor.

Miles

Infligat Mars multa licet tibi vulnera, et tamen
Mars nocet armaque, quae tibi nuda Venus.

Amantis lachryma

Humorem fervens ex ligno expellit ut Ignis,
Ex oculo lachrymas elicit intus Amor.

Lyra

In tam diversis cum sit concordia chordis;
Tam discors hominum, et pudet esse genus?

Echo

Voce nulla potest ars sculpere, pingere nulla;
Sola repercussos exprimit Echo sonos.

Echo et Speculum.

Nil in se praeter vocem, vitale habet Echo;
Ut vivat speculum, nil nisi voce caret.

Ad D. Mariam Nevillem, patronam

Te quoties laudo, nil mentior, at ne adulor.
Laudis nulla capit plusve, minusve cupit;
Non quaeris, si laude licet dignissima, laudem.
Est inter laudes haec prope summa tuas.

Ad Eandem

Quae parientis onus, cum nec dum nata fuisses
Matris eras; nunc es nata parentis honos.

Ad Eandem

Dicit te speculum formosam, fama pudicam;
Mentitur speculum nil tibi, fama nihil.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Ffusa tamen de te, nil male fama loqui.

Ad Eandem.

Nemo potest animi mores affingere pictor
Attamen haec mores monstrat Imago tuos.

Tres Tentatores.

Tres, Caro, et immundus mundus, Satanasque Sophistae
Hic logicus, reliqui Rhetores ambo boni.

Via lata et angusta.

Jussit ad angustam magno conamine vitam
Ire per angustam littera sacra viam
In latum de angusta locum nisi semita ducat
Ducet in angustum de via lata locum.

Catechismus.

Sunt credenda tibi bis sex, orandaque septem
Si salvus fieri vis, facienda decem.

Spes fallaces.

Res fallaces potius! Spes vero fideles.
Quae vel ad Extremum nos comitantur iter.

Adami Lapsus.

Theologis animam subiecit Lapsus Adami
Et Corpus medicis, et bona Juridicis.

Mortificatio.

Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet
Assuesce ergo prius, quam moriare, mori.

Oratio.

Christus uti clausis penetraverat ostia portis
Sic Coeli penetrant omnia Claustra preces.

De Hominum Intemperantia.

Qui

Qui fragilē longe cupimq producere vitā,
Quamvis vitæ cur breviamq. iter!
Nolumq et volumq produi sprā vitæ
Nolumq ā nobis, malumq â Medicis;

De Relligione.

Arbor amara pio plantanda in pectore, cuiq
In radice labor, fructibq insit honor.
Primq in orbe Deos fecit timor, haud male dictū:
Est etenim pietas prima, timere Deū.
Fel in radice est pietas, in vertice mel est:
Relligionis n. fons timor, amnis Amor.

Memento mori.

Mors incertarū rerū certissima; cunctis
Incertū quando, certū aliquando mori.
Nullq ab occasu procul est hoc, nullq ab ortu,
Nec tū illiq, nec memor huiq homo.

B. Virgo

Sponsa Dei Patrisqz parens et Filia Filii:
Virgo, nec absqz viro; Mater, at absqz viro.

Philautia.

Crimina qui cernunt aliorū, nec sua cernunt.
Hi sapiunt alȳs, desipiuntqz sibi.

Vita Sanctorū.

Sanctorum vitas legere, et n̄ vivere, frustra est,
Sanctorū vitas degite, non legite.

Virtus.

Non est in verbis virtq, at rebq inhæret.
Res sunt, n̄ voces, Spes amor, atqz Fides.

Voluntas.

Vis bonus esse? velis tm̃, fiesq; volendo;
Esse tibi posse dabit, qui tibi velle dedit.

Ad Solem

Phoebe bis octogies terra pulcherrime maior,
Innumerabiliter cum videare minor:
Qui mihi tantillo Vermi, Sol tante, videris?
Tantulus heu videor quantulus esse tibi!

Malum Infinitum.

Mille modis morimur mortales, nascimur uno;
Sunt hominum morbi mille, & una salus.

Christus in Cruce.

In medio Christus Latronum quando pependit
Aut nunquam, aut virtus tunc fuit in medio.

Dies brevissima.

Una dies nrā suprema brevissima vitae;
Est etenim fini proximus ille dies.

De Somno.

Si Somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus
Quo plus in vita dormio, vivo minus.

Hominis perfectio.

Undecunque rei perfectio summa
Est, ad principium posse venire suum.
Tunc igitur perfectus homo summeque beatus,
In Caelum et terram quando revertar, ero.

Initium Sapientiae Timor.

Speraret Caelos nemo, si nemo timeret
Infera; prudenti spem facit ipse metus.

In Sudore Vultus tui.

Mandere qui pane iubet in sudore diurno,
Non dabit aeternas absque labore dapes.

Si oculus

Si oculus tuus dexter &c. Matt. 5. 29.

Si quoties peccant dextri effodiantur ocelli,
Mundus in exiguo tempore caecus erit.

Vitae Brevitas.

Infanti nondum nato par omne futurum
Judico, defuncto praeteritumque seni
Sollicito praeteritum de vita, tolle futurum.
Quantillum vitae, quod tibi restat, erit?

Dies Judicii.

Quo respondebunt homines, et ad omnia ~~...~~ et oes
Judicio tanto num satis una dies?

Sapiens.

Qui rerum novit causas, ac tempora servat
Temperat affectus, ordinat acta, sapit.

Homo.

Plorabas cum natus eras, fuit ergo voluptas
Nulla tibi nasci; cur doles ergo mori?

Oculi Reipublicae

Lex et Religio iunxerunt foedera: pravas
Haec hominum mentes comprimit, illa manus.

Solstitium. ad ~~Ponticum~~

Solstitium vita, mors est; Sol stare videtur,
Non stat: homoque mori, Pontice, ut moritur.

Caelibatus.

Si Caelum meritis adscribitur, et benefactis,
Caelebs tu, Caelum quo merearis habes.

Eva Lapsus.

Eclipsin raro patitur Sol, Luna frequenter:
Et magis ad lapsum, foemina prona, viro.

Amicitia

Cur similis similes sibi quaerit? amicus amicos?
Uno nemo potest in pede stare diu.

Incredulitas.

Credulitas error potius quam culpa videtur.
Est error nimium credere, culpa parum.

Credulitas

Cui cuivis quidvis credit, male creditur illi.
Quo credis mihi plus, hoc tibi credo minus.

praestat dare quam accipere

Accipere humanum est; inopi donare Deorum.
Tranquam tam paucos credo fuisse Deos.

An Unitas Arithmetica respondeat puncto Geometrico?

Plus Deus immensus puncto est, non plus tuo uno
A puncto quantum differat, ecce, monas.

Caput et Corpus.

In Capite est ratio, et rationis quinque ministri
Divinum in reliquo corpore paene nihil.

Gemini

Dissimile in nobis nihil est, paria omnia, fra[tres]
Differimus numero; nos duo namque sumus.

Amici.

Nos vix distamus numero; duo nos sumus unum
Vos estis gemini corpore, nos animo.

In A. S.

Nomen habes hominis, faciemque, animalis acumen
In specie stultus, doctus at in re ...

B. Virgo

Virgo beata licet communi voce voceris
In Mulieribus es tum benedicta magis

Nil

Nil mihi prodesses, si tu virgo fuisses.
Quantum at profueras, ô, qua Mater eras?

De Invidia Paradoxon

Si plus virtutis foret, invidia minus esset:
Quo virtutis enim plus vitij minus est.

Patria Amatoria

Vis voto potiaris amans? patiaris oportet,
si vis in dulci vincere pace, pati.

Aesopi lingua.

Humano membrum non est in corpore lingua
Nobilius res bona, mobilius mala.

Vicissitudo

Gaudia post luctus veniunt, post gaudia luctus:
Semper in ambiguo (spene metuive) sumus.

Ubiquitarij

Tota patet tellus inopi quamvis vagatur:
Pauper in exilio est nullibi, ubique domi.

Amantes.

Ut amor in nobis, in lignis ut latet Ignis:
Igni uti lignum, nos levis urit Amor!
Ligna sed in cineres vanescunt; Ignis in auras.
Nos Cinis; et nos, quid nisi fumus, Amor?

Fama. Error

Rumor Rumores, errores parturit error.
Ut nivis Exiguus crescit eundo globus.

Res in sepulchro.

Pendentes agimus vitas in littore mortis.
Tam prope mors vitae est, quam prope margo mari.

Vna fere res est homini mors vitaq; sicut
Efficiunt unum ferrag. et unda globum.

De se ipso

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam;
Et verum dicunt; non? quia vera loquor.

Ad quendam

Doctor es incipiens; nunc incipe doctior esse

Scala Coeli

	S	
	A	
S	T	
E	I	S
D	R	E
I	A	P
F	C	S

In Coelum gradibus virtutum mea vita
Quattuor ascendit; tres bona, quinque ~~mi~~ fide;
Tres Lunam, Solemque fides contingit: amoris
Scala vel ad summum pertinet usque polum.

Quatuor hominis causae.

Forma quid est hominis, nisi mens, mala, vana, nostra?
Principium quod nam Materiale? nihil.
Mam cum fit igitur ne sufficie; solus
Finis et efficiens respiciendus erit.

Vltima linea.

Vltimus est vitae mors actus amara iocosae;
Cuius vita fuit seria, mors iocus est.

De Vita et Morte

Vna via est vitae, moriendi mille figurae
Et bene: nam mors est res bona, vita mala.

Εἶναι ἢ ἔχειν, Gravis

Esse et habere, bonum est; dixitque nescio
Addidit Almanus nescio quis; bibere!

Ad Henricum Principem

Primum est, esse suum; tamen hoc cui fata negarunt,
Alterius non sit, qui suus esse potest.

Honoris { Etymo- / Genea- } logia.

Divitias et opes Hon lingua Hebræa vocavit;
Gallica Gens aurum Or; indeque venit Ho-nor.

Votum Salomonis

Cur Regis sapientis erat Sophia votum?
Optasset Salomon, si sapuisset, opes.
Non optavit opes Salomon; Sapientiam optat.
Nam sapere optavit; cur? quia non sapuit.

Ad Judicem Decianum

Non volo te surdum, non mutum: te volo caecum.
Non claudum: mancum te, Deciane, volo.

Possum, Volo, Nolo. Anomala

Quod volo non possum; Quod possum nolo vicissim
Tota Hominis vita est nil nisi nolo, volo.

Locatio Beneficiis.

Quod bene fit puero, perit; obliviscitur ille:
Decrepito quod fit, non perit, ipse perit.

Ad Regem

In decimo nono Jubilaeo aetatis obiuit,
Qui post diluvium vixit et ante, Noë.
Si mea vota valent, Jubileos quot Noë vidit,
Saecula tot vivas; Tu Noë non eris.

In quendam Parcum

Te laudo Laudatorem, non laudo datorem.
Scit laudare magis nemo, minusve dare.

ΔΕΛΤΩΤΟΝ

Humanæ vitæ Scopulos ante via deltas
Tres fuge; Divitias, Dæmona, delicias.

Amo, vocis passivæ, Amor Activæ.
Quisquis amat, servit; dominatur qsqs amatur
Quisquis amat patit; quisquis amatur agit

Sacerdos & populus.
Presbyteri labijs orant, Laiciqz laborant
Plebs, du pro populo presbyter, orat, arat

Nosce Te ipsu.
Ethica iungatur physica, te noscere si vis
Hæc docet Anatomen Corpis, illa animæ.

Ad Henricu Goodyeere Equite
Quid Tibi pro strena mittā Goodyeere? precat
Vt possis nomen multiplicare tuu.

Divisio Arithmetica. ad I. S. Mercatore
Divide nil, du vivis, egentes inter amicos
Mortuus invenies in Quotiente nihil.

Æsculapius Trifrons.
Intrantis Medici facies tres esse videntur
Ægrotanti; Hominis, Dæmonis, atqz Dei.
Quamprimu accessit Medicus, dixitqz salute.
En Deus, aut Custos Angelus, æger ait.
Cum morbu Medicina fugaverit, Ecce homo clam
Cum posuit Medicus præmia; Vade Satan.

Raō & Oratio
Rhetorica est palma similis, Dialectica pugn
Hæc pugnat, palma sed ꝑ tu illa refert

Triplex

Triplex mendacium in Tullium { dictum / fictum / pictum

Sculptoris est, mendacia fingere; pingere, munus
pictoris; cuius dicere, Tulle? tuum.

Dubitantius.

Suspicor alterutrum, scio neutrum, utrumque paratus
Credere; Phœbus erit, qui mihi dicet, utrum.

Tres haustus.

Præterita primus, præsente posterior haustus
Venturæ extinguat tertius iste sitim.

Ænigma duplex.

Dic mihi quæ fuerit, matri quæ *filia nupsit?
Cuius erat || mater mascula, nemo * pater?
* Eva, || Adamus, * Deus.

De fide. Anagramma quintuplex.

Recta fides certa est, arcet mala schismata: non est,
sicut creta, fides fictilis: arte caret.

De Papa et Luthero.

Papa pater multas indulgentissimus unus
Ex purgatorio liberat igne animas.
Martinus papis pater indulgentior unus
Omnibus est; omnes eximit inde Luther.

Ad Cælibem.

Cælebe vita degens in cælibe vita,
Quod possunt pauci, tu potes esse tuus.
Cognati natorum instar tibi sint et Amici:
Dum tibi cognatus sim, vel amicus ego.

In Nobile Nomen.

Mater erat ne nutrix, pater in mare retia iecit;
Unde tuum decorat linea longa genus.

Chrysost. Graecus ab Henr. ~~Sal~~ Savello correctissime editus.

Vita in carne, prius prima Chrysostomus egit;
nunc vitam, eductus corpore, mentis agit.
Vivit et in scriptis. Naturae debita nati
prima, secunda Deo, tertia vita tibi.

Sapia Socratica.

Omnia me, dum iunior esse, scire putabam;
Ergo scio plus, hoc me nunc scio scire minus.

Corpus terrae

Telluris lapides sunt ossa, metallaque nervi,
pellis crusta, pili gramina, sanguis aqua.

Medicus & J. C.

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores;
Dum ne sit patiens iste; nec ille Cliens.

Anagramma. Galenus Angelus.

Angelus es: bonus anne malus, Galene? Saluti
Humanae custos; Angelus ergo bonus.

In Dindymum Mercatorem.

Artis Arithmeticae, didicisti, Dindyme, partes
Tres primas, quartam disce, beatus eris.

Religiosus

~~Quod~~ bene fit, male fit, nimium si fiat aperte.

Politicus.

Occulte dum fit, quod male fit, bene fit.

Ortus et situs Solis.

Sol inter 7tem stq mediusque planetas.
In 4to ~~in~~ medio Sol sunt situs ut *satus est
* 4to die creatus Sol.

Homo

Homo

Nil fueras, sed nec hoc potes meminisse, priusquam
Natus eras; aliquid cum morieris, eris.

Superbia vitæ.

Ex humili licet ortus homo tellure, tumescit.
Sit licet ex nihilo nata, tumescit humus:
Sic homo, sicut humus, supra se tollitur ipse.
Monte superbit humus; mente superbit homo.

De se ipso.

Sum, fateor, doleoque minorum ex ordine fratrum
Frater, opes patrias et bona maior habet.

Sirenum Cantus.

Si tenui cupis incolumem servare salutem,
Sirenum cantus effuge; sanus eris.

Amor Cæcus.

Ebrietas et Amor similes; extinguit uterque:
Corporis, Ebrietas lumina; mentis, amor.

Aër, Aqua, Terra, Infernum.

Terra supernorum sordes immunda receptat:
Terræ immunditias, Orcus in ima trahit.
Quicquid in orbe mali est, aliquod feret in orcum,
Fertur ut in centrum quod in orbe grave est.

Zodiacus Christianus.

Cœtus Apostolicus, Cœlestia sidera bis sex;
Zodiacusque fides; Sol mihi Christus erit.

In discordias nostri Temporis

Definit Logicus res, non modo dividit; at nos
Nil definimus, omnia dividimus.

Redemtio & Generatio.

Nos Satan à muliere emit, Christusque redemit:
Christus nos lavit, quos maculavit Adam.

Liberalitatis laus.

Quod datur, aeternum durat, sequiturque datorem,
Dante et captante, munus utrumque iuvat.

Novus homo.

Quod superest, de pelle tua depelle vetustum,
De cute peccati decute triste iugum.

Anagramma salutare.

Opto tibi multa, nulla tibi poto salutem
Est potior pota sicca salute salus.

Exemplar.

Exemplo virtus bene discitur atque docetur,
Qui dare mi suadet pauperibus, sua det.

Medium duplex.

In medio constat tellus, tamen infima res est
In medio virtus res ea, summa tamen.

N. O.

N praeit, O sequitur; nihil est antiquius Omni
Scilicet, ex Nihilo condidit Omne DEUS.

Sanctitas, Sanitas.

Nemo diu, bene quisque potest, at vult bene nemo
Vivere; vivere diu vivere? vive bene.

Navis

Puppis cauda, carinaque venter, proraque rostrum
Velaque sunt alae, totaque navis avis.

Sol et Tempus.

Sol celer est, at sole tamen velocior hora
Hora stetit nunquam, Sol aliquando *stetit.
*. Josu. cap. 10. v. 12.

Sanguis

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

* Sanguis

Sum Crudus, moxque inde cruor: per corpora curro,
Voluor, et in venis Sanguis ut anguis eo.

Brevitas Anagramma [illegible].

Perspicuâ brevitate nihil magis afficit aures,
In verbis, ubi res postulat, esto brevis.

Erasmus.

Quæritur, unde tibi sit nomen Erasmus? eras mus
Resp.
Si sum mus ego, te judice summus ero.

Parum, Nihil: Nimis, Satis.

Pauper in orbe parum, mendicus nil habet usquam:
Dives habet nimium; quis, nisi nemo satis?

Respice finem.

Omega distinguit misero non Alpha beatum.
Ante obitum fœlix nemo; nec ante miser.

In fœlicem.

Primus erat dum mus eras pauperrime fœlix:
In Lazari malles mortuus esse loco.

Humilitas.

Uberiora ferunt valles breviora[q]ue montes *
Gramina: multum humilis mens sapit, alta parum.
Mens mons est, montisque cacumen mentis acumen:
Omne cacumen inops est et acumen iners.

Annus.

Ver, æstas, autumnus, hyems sunt integer annus:
Æstas autumno, vere levatur hyems.

Patiens inversus, & patia divisa.

Esse nolo patiens, si nolo, cogor; at in spe
Hac ego sio potens entia cuncta pati.

Cygnus

Cum me fata vocant, ad amœni fluminis oram
Sic moriens mœsto carmine solor olor.

Ad Polydorum.

Est Ablativo melior, Polydore, Dativus
Dives; et accipiens munere dante minor.

Saturni tres Filij.

Omnipotens unus fratrum, qui præsidet orco
Omnipotens alter; Tertius omnipotens

Ad Iracundum

Ira cadat cum sole, at non cum sole resurgat
Semper cum Phœbo currat ad Antipodas.

Mors.

Humanum in terris nihil est quod non sit humandum
Avolat hinc animus: cætera sorbet humus.

A Nest of Boxes { suscipio / scipio / pio } pyxidum trias.

Pro patria patribusque mori, populoque latino
Corde animoque pio Scipio suscipio.

Ænigma.

Dic mihi quæ in cœlis extat vox * integra cuique
In terris tantum syllaba prima patet?
* Fel-icitas.

Conversio Pauli.

Qui modo Saulus eras, inverso nomine Salus
Factus es: ut παῦλος, qui modo σαῦλος eras

Tria Genera

Est Dubij generis, castissima sit licet, uxor;
Communis meretrix; fœminei, mulier.

ST. ST. Silentij Nota.

Quid sibi Romanum vult ST. Sileto, Taceto:
S. monet ut sileas, T. jubet ut taceas.

Nil sine amicis

Miscellana,

Nil sine amicis iucundum.

Quid tibi iucundum summotis esset amicis?
Cuncta tibi quamquam sint cumulata bona.
Alter ego est verus multisque probatus amicus,
Quo nobis debet carius esse nihil

Scire Mori Est Honos mortis.

Mortis honos est scire mori, vitaque beatae
Exitus est testis qui sine labe fuit.

Quales esse debemus.

Nulli sis blandus, severus et omnibus aequus,
Vox clamore vacet, sit sine lite sonus.

De Risu

Immodicus risus non est sapientis, at index
Stultitiae; lepidi sint sine dente ioci.

Ne simus loquaces.

Vis sapiens dici, raro et meditata loquare:
Saepe loquax verbis proditur ipse suis.

Mors vitari non potest; itaque nec timenda nec fugienda.

Quod nequeas vitare, fugis? mors omnibus instat;
Nec formidanda est, nec fugienda tibi.

Gloria saepe spreta cumulatior redit.

Narrent de te alii: proprio sordebit in ore
Gloria; si taceas, plus tibi laudis erit.

Laus Liberalitatis.

Ille Deo similis, qui dat bene munera lætus:
Qui repetit fœnus, fœnoris officio est.

Nulla maior usura et sanctior
Quam pascere pauperes.
Nullum maius erit lucrum, quam pascere egenos
Fœnore nam grandi centupla dona feres.

Qui pauperibus elargitur, in Coelo
thesaurizat
Quas Christi causa miseris donabis egenis,
In cœlo æternas conciliabis opes.

Dat gratis nemo.
Munera qui mittit, sperat maiora remitti
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

Ad Amicum
Accipe parva mei lætus munuscula census,
Nec quæ sint, sed qua, suscipe, mente data.

Conscia bona nil timet
Qui recte vivit, contemnit iura superba:
Conscia mens recti nil timuisse potest.

Amicus verus in re incerta cernitur
Invenies multos, si res tibi floret, amicos:
Si fueris pauper, nullus amicus erit.
Rebus in adversis patia vera probatur
Rebus in adversis vera probanda fides.

Conscia bona judicem non timet.

Accusent

Absint de mille licet, mens conscia recti
Stat tu, et nunquam judicis ora timet.

Se quisque metiatur, et alijs erit aequus judex.
Te perpende prius, nec det tibi purpura fastum,
Ut tibi, sic alijs arbiter aequus eris.

Quae scimus docere: quae nescimus, discere debemus.
Quae nosti, impertire libens, facilisque roganti
Esto; quae nescis, discere nil pudeat.

Qui alios reprehendit, se primum castiget.
Cum fueris censor, primum te crimine purga,
Nec tua te damnet facta nefanda reum.
Ne tua contemnas, aliena negotia curans.
An tibi te quisquam iunctior esse potest.

Amici paucissimi.
Millibus ex multis unus vix fidus amicus,
Hic albo corvo rarior esse solet.

Omnia differunt; mundo quae pulchra videntur,
Divitias subito sors inimica rapit.
Perpetuo durat virtus doctrinaque rerum,
In quas illa sors nil, quod dominetur, habet.
Haec tibi sola potest laudemque decusque parare,
Te facit haec veris delitijsque frui.
Hanc studiose puer vigili tibi quaere labore,
Haec tibi prae cunctis sit potiore loco.

Pastor, arator, Eques; pavi, colui, superavi
capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Luxuria
Corpus, vires, animam, consortia, fœdera, famam
debilitat, perdit, necat, adit, destruit, aufert

De Tropis inveniendis sunt hi versiculi.
Retia rura nemus, venator vulnera miles
Pastor aquæ flamæ dant tibi mille tropos
de Locis Rhetoricis
An, quid, quæ partes, species quæ, causaque qualis,
Effectus propriu annexu, diversaque parque
Et quæ circumstant, quæ sint exempla petenda.

Otia mensa libri, vaga lumina, verba, sodales
Hæc tolle hanc minue, hos muta hæc claude, hæc fuge
vita hos.

De medico.
Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor: et herbarum subiecta potentia nobis
Janua pauperibus clausa est, dat census honores

In communione damni et obligatione
restitutionis vocantur, qui geminis
his versiculis indicantur.
Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans mutus, non obstans, non manifestans

Quas tibi persolvam grates! quae digna reponam
Munera? Vos superi, meritis date munera tantis.

Si tibi quid feci, aut facio, quod placet. (Simo:) et
id gratum fuit adversum te, habeo gratiam.

Spiritus hic vacuas, prius est tenuandus in auras.
Quam subeant animo, meritorum oblivia nostrorum.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST